

malum significant. Tertium quod Planeta qui dominium recipit in natali figura sit amicus et propitius illi cause, hoc enim bonum Sicut si sit dominus oppositi Aphetæ, aut oppositus domino Aphetæ malum. Quartum quod talis dominus processus uel directionis hora genituræ fuerit felix aut infelix. Quintum & ultimum quod obseruemus in toto decursu dominij sui cum occurret beneficis, aut cõfigurabit Aphetæ natiuitatis, aut ipse erit potens, causa illa iuuabit: cum fuerit in cõiunctis debilitabit: & similiter cum erit sub radijs Solis, aut retrocedet, aut oppressus à maleficis, aut cadens. Hali uerò credit quod Ptolemæus sponte hæc occultauerit: Sed non solum inuidiosum est, uerum etiam stultum, tradere artem & illius præcipuam partem occultare. Deinde ea tradere per quæ intelligatur scripta ab illo & fiat quasi aliena laus. Circa hos tres modos diuisionis diligenter obseruandū, Ptolemæum uitalse cõfusionē, & dominos processuum & directionū obseruasse, & nō solum ipsa loca, & locū Apheticum principalem hora genituræ. Exemplū, ut dixi, anno quinquagesimo secundo horoscopus peruenit ad Cæcrum, Tauri pars septima est Apheta, & dominos cõsiderat septimæ partis nō Tauri sed Cæcri, Lunā & Iouē principaliter: post dominos loci genituræ, id est, septimæ partis Tauri, & locū processus, id est, septimā partē Cæcri. Ita ut in diuisionibus temporū seu per processus seu per directiones cum sint quatuor, locus natalitius, dominus loci natalitij, locus processus, dominus loci processus: primā auctoritatē fortitur dominus loci processus, secūdā locus natalitius, tertīā dominus loci natalitij, locus aut processus quarto loco habetur. Et hæc pro intellectu nō solum precedentium, sed & sequentium. Verū dices nōne sufficiebat Ptolemæo dicere quod tota figura singulo anno per unū signū pcedebat, quasi per uiam reuolutionis ita ut figura reuolutiōi similis erigeret? Respondeo quod nō, ob duas causas: prima ob inequalitatē domorum: Secūda quia nō uult quod procedat, nisi illa quinque loca principalia, nō omnia.

T E X T V S L X X X I I I I.

Respicendum etiam est ad ingressus in præcipua potissimum loca, neque enim parum momenti habent in temporū decretis, maximè Saturni generalium, Iouis annuorum Martis & Solis, Veneris & Mercurij mensuorum, Lunæ diurnorum.

Hæc est quarta temporū diuisio, quæ quasi fortuita est, cum Planetæ ingrediuntur præcipua loca, id est, illa quinque dicta: nā eorū significatū tādū durat quātū Planeta ille integrū signū permeare potest. Ob id Saturnus generalē habet temporū partē, id est, duos annos & dimidiū et quādoque tres, quia tādū dem in uno signo manere potest. Et hæc est causa quod pauce infelicitates diutius durat: et maximè pestis quāuis à deliquijs significatio principalis sumatur. Eadē ratione Iupiter habet annos, anno enim manet in singulo signo. Mars, Sol, Venus & Mercurius menses: nam Mars non implet spatium duorum mensium in uno signo generaliter, ad summū quādoque octo mensium: reliqui tres uno mense signū ex ordine peragrāt, ideò pponuntur hi quatuor Planetæ mensibus. Eadē ratione Luna cum in uno signo pauio plus duobus diebus maneat, dierū spacio præest. Hęc igitur est ratio distributiōis fortuitæ temporū iuxta ingressus, & deambulationes Planetarū in quinque locis principalioribus, & per loca principaliora, nō intelligit natiuitatis, sed ad quæ peruenerunt per annuos uel mensuos processus.

T E X T V S L X X X V.

Ac quemadmodū generalium temporū arbitri potiores sunt ad decretū absoluendū, ita particularium cõducunt aut reluctāt, per cõuenientia & aduersitate naturæ suæ, trāsitus uerò augmēta et decremēta euētuum adducunt.

Cõparat inuicē hæc tria: generalium temporū dispositores, & ppriorū, & trāsitus: Nā generales dispositores plus possunt in absoluēdo effectū: Domini uerò priorum conducunt, scilicet plurimum, aut reluctātur: trāsitus aut tantum augent aut minuunt.

Notandum quod licet hi reditus semper aliquid tamē longè plus faciunt in finibus annorum quam in alia parte anni. Et ita de mense & diebus. Et plus in initio anni

hh 4 quam